

ANN. XVI. FAC. XII.

MENSE DECEMBRI MCMXXIX

ALMA ROMA



QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

Pro "ALMAE ROMAE," Sociis

nuperrime prodiit JOSEPHI FORNARI

PARVUM ANTIBARBARUM

Volumen, cui praefatus est FELIX RAMORINO, constans pagg. 103, editione portatu facilis, venit italic. libell. 8.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venum dantur eiusdem auctoris Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

Fridianus - Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

(Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus).

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXVIII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 350 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 700, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngraphan (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XVI


Romae, Mense Decembri MCMXXIX

Fasc. XII

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXIX est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solendum rectoque tramite mittendum ad Iosephum FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96*.



Sociis et Lectoribus commentarii nostri humanissimis Natalicios, qui imminent, dies et novum annum bonos, faustos, felices ex animo ominamus.


Iter ad finem assequendum, quem nobis proposuimus, quomodo et quo animo anno MCMXXX prosequuturi simus, in proximo numero declarabimus; id unum hodie dicere satis sit, pretium consociationis immutatum relinquere nos constituisse, scilicet pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris universi orbis nationibus summam, quae Italicas libell. 30 exaequet. Hanc autem summam libell. 30, Sociis nonnullis suadentibus, Italis proponimus qui alteram illam subnotationem, quam adiutricem iam appellavimus, pro sua humanitate sibi assumere malint; dum exteris ipsa sub-

notatio erit pariter duplicatum suae subnotationis pretium.

Antiquorum praecipue Sociorum favor, quem iamdiu experti sumus, certiores nos facit non modo eos omnes, nulla mora interposita, consociationem suam, eius pretium mittendo, renovaturos, sed eorum plurimos ad adiutricem hanc subnotationem ultro esse accessuros, et etiam ad Patronorum ordinem, in quem ii referuntur, qui libellas saltem 100 offerunt.

Itaque fiderenter exspectamus...

ALMA ROMA



De latinae linguae studio¹

Priusquam ad ulteriora procedam, monabo latinae linguae prosae legendos, vel cum illis coniungendos esse, qui elegantiam orationis metro alligarunt. In mentem hinc non inopportune referam Melan-

¹ Cfr. fasc. sup.

thonis illius elegantem adolescentibus de
re adhortationem:¹

*Si decus Ausoniate linguae retinere studetis,
Si cupitis recte verba latina loqui,
Cura sit, a teneris, valut cognoscere scriptas
Eloquii fontes hos sciat esse puer.
Horum pectoribus motus Deus indidit acres,
Sublimeque dedit Musa canora sonum.
Verum non satis est legisse poemata tantum,
Accedat studiis altera cura tuis,
Ut doctis digitis exempla effingere certes,
Cogere et in numeros verba soluta novos.
Hic labor ingenii vires acutique foveatque,
Hinc venit eloquii copia, forma, nitor.*

Quinam autem poëtae? Primum elegiarum scriptores, quos inter Ovidius, omnium sententia palmam habet; deinde epici, quod nomen Vergilius unice mereatur; tandem lyrici, et instar omnium Horatius erit, qui in hoc genere ut solus superest; ita fere unus digna legi, iudice Quintiliano, scripsit. Tum etiam, propter scenam, Plautus, in quam omnis generis homines ex usu familiari colloquentes induxit; et propter Aesopi fabulas, quas senariis versibus propolivit Phaedrus, Augusti libertus, ad lectionem sedulam de meliori nota omnibus commendantur. Hos autem scriptores non ideo nominamus, quasi aut evolvendi simul sint omnes, aut nulli similes illis adiici possint; sed ut ordine comparanda succedat latinitas, et in omnibus delectus habeatur.

**

Sed ut ad solutae rationis argumentum revertamur, deterioris latinae linguae aetatum scriptis, aeneam puta, quam vocant, et ex parte argenteam, aliter utendum non est, quam ab inopia: quando latinas rerum appellations unde petamus in optima aetate alium habemus neminem. Tanta vero cum intentione animi, cura et sollicitudine istos perquirere, vel omnem

¹ Declamat. II, 211.

¹ QUINT., Ist. orat., I, 8.

illis operam consecrare, cuiquam ego minime gentium persuaderim.

Quintilianus enim iam tum aetate sua totum propemodum sermonem aperte retulit in deterius mutatum fuisse. At «persequi — ut idem sentit — quod quisque unquam vel contemptissimum hominum dixerit, aut nimiae miseriae, aut inanis factantiae est; et detinet atque obruit ingenia, melius aliis vacatura. Nam qui omnes etiam indignas lectione schedas excutit, anilibus quoque fabulis accommodare operam potest».²

His et sequioribus latinae linguae saeculis Ciceronem longe et aequales praestitisse, maximi omnium aetatum viri uno contestant ore omnes, quorum consentiens et probatum contempnere iudicium, et quosvis alios potius sibi imitandos sumere, hominis est, cui vel pudor omnis periit, vel sinciput est minime sanum.

Haec quidem sufficient illi, qui perspicue, pure et eleganter scribere ac dicere cupit.

I. N. F.

Hierosolymitana Regum latinorum sepulcra

Quinto Idus Octobris anno MDCCCVIII, quum alta nox Hierosolymae incumberet, in Sancti Sepulcri basilica, dolo, aut culpa, aut casu excitatum erupit repente incendium, idque adeo vehemens, ut sacram aedem paene funditus vastaverit. Tunc Graeci incolae, optime rati catholicos fideles atque franciscanos sodales haud posse eo tempore instauracionum sumptus sustinere, accedente venia Praefecti infidelium, ipsi ad opus accessere. Quamvis autem non obtinuerint, quod maxime cupierant, ut Catholici nominis custodes

omnino a reliquis sacratissimis arcerentur, id tamen efficere valuerunt, ut, quum duos post annos iterum Ecclesia patuit, sepultra regum omnino abraderentur, qui latinum regnum Hierosolymae militia crucis, bello et sanguine redemptum tenuerant, ibique, prope Christi sepulcrum, pie fuerant reconditi.

Quod quidem Dominicum sepulcrum, prouti scribit Eusebius in *Theophania*, erat «spelunca nuper in saxo excisa, nullum adhuc cadaver experta, quia oportebat unicum loculum uni insolito mortuo deservire. Miraque visu erat petra spatio in loco sola extans erecta antrumque unicum intus habens».

Atqui hic prope, anno cccxxvi Constantinus imperator tria tempora exstruenda curavit, primum in Passionis memoriam (*Tὸ στοπρίον μαρτύριον*), alterum in crucis loco (*τῷ στοπρίῳ σημεῖῳ*), tertium ad locum sepulcri atque resurrectionis (*τὰ κατὰ τοῦ θανάτου τρόπαια*), quod *ἀνάστασις*, sive a resurrectione, proprio dictum est. Tempa haec post multas vicissitudines assidueque barbarorum incursiones et vastationes, liberata tandem anno MCXXX per milites Crucis sancta civitate, sub una eademque aede connexa et conclusa sunt. Templi autem ad latus laevum spelunca hiabat in rupe, quae productis muris et ipsa templo coniuncta est sacellique ad instar exornata, erectumque in ea altare. Aedicula haec nova nomen passim medium per aetatem obtinuit «sacellum Adami», forte e traditione satis vulgata, primi patris caput eodem in antro sub Dominicæ crucis loco reconditum, ac per hianantis montis rupem sanguine morientis Redemptoris fuisse ablutum; quae refert quoque S. Hieronymus, fidem rei tamen lectori solutam permittens,³ et aliam «favorabilem interpretationem» rem ap-

¹ Comm. in Math. I, IV, c. 27.

² Cfr. VILHELMUM TIRIUM, I, IX, c. 9.

³ Ibid., c. 23.

⁴ Loc. cit.

⁵ Hanc transcripsit anonymus *Bellarum Sacrorum* historiographus anno MCCCLXXIV; at eius vestigia, post incendium anno MDCCCVIII excitatum, nulla supersunt.

pellans, «mulcentem auram popularem, nec tamen veram».¹

Atqui hoc adamussim in loco regum latinorum exuviae sunt reconditae; Godefredi nimirum triumque praesertim, qui post eum novum regnum habuere. Godefridus «gratia Dei, ecclesiae Sancti Sepulcri nunc advocatus», ut ipse regium titulum aspernatus, de se scribebat,² obiit anno MC, quintodecimo kalendas August. atque «sepultus est in ecclesia Dominici sepulcri sub loco Calvarii, ubi passus est Dominus».³

Baldovinus I, frater eius, in regnum ei successit, qui tamen duodeviginti post annos, assiduis proeliis absumptus, Martio mense obiit, pariterque reconditus est «iuxta fratrem sub monte Calvariae in loco, qui dicitur Golgotha».⁴

Fratrum sepulera praecipua ea forma erecta fuisse creduntur, quae tunc temporis in moribus erat, «basilikæ nomine» distincta: imposito scilicet quatuor columnis, parvis quidem atque elegantibus, tecto in trianguli solidi figuram, cuius in facie funebres inscriptiones erant insculptae.

Inscriptio autem Godefridi cineribus apposita, quae tum eius monumento Bolognae abhinc non multos annos est restituta, eiusmodi erat: «Hic iacet inclytus dux Godefridus de Ballon, qui totam istam terram acquisivit cultui christiano, cuius anima regnet cum Christo. Amen».⁵

Verum, quoniam multo recentior huius inscriptionis stylus videtur, quam ut ad aetatem qua Godefridus mortuus est re-

ferri possit, investigantibus sedulo antiqua monumenta vetustior inscriptio patuit in latinum opusculum relata: *De situ urbis Ierusalem et de Locis Sanctis intra ipsam urbem sive circum iacentibus ab ignoto auctore saeculo XII ineunte digestum*; ¹ ubi haec de Godefrido leguntur: «... Sepultus est sub incomparabili moerore ante Golgotha ubi crucifixus est Dominus noster. In cuius tumulo hi versus scripti sunt:

*Mirificum sidus, dux hic recubat Godefridus,
Egipci terror, Arabum fuga, Persidis horror.
Rex licet electus rex nolut intulit
Nec diademari sed sub Christo famulari.
Eius erat cura, Syon sua reddere iura
Catholiceque sequi sacra dogmata iuris et equi,
Totum scisma teri circa se, iusque foveri.
Sic et cum Superis potuit diadema mereri
Milicie speculum, populi vigor, anchora cleri.*

Omnino similis huius, inscriptio legebatur Baldovini sepulcro apposita:

*Rex Baldwinus Iudas alter Machabeus.
Spes patriae vigor Ecclesiae virtus utriusque
Quem formidabant cui dona tributa ferabant
Cedar et Aegyptius, Dan ac homicida Damascus,
Proh dolor in modico clauditur hoc tumulo.*

Haec itaque erant sepulera duo tamquam custodiae vigiles ante illud «Adami sacellum» posita, quibus proximi atque eodem ordine Baldovini II regis atque Fulconis ex gente Angioina tumuli erant. Ille enim, postquam duodecim annos regnavit, fessus laboribus atque proeliis, in discrimen mortis devenit.

Tunc autem «... coram Patriarcha et Baronibus se regali exuens dignitate genero Fulconi filiaeque sceptrum regni concessit; dixitque se velle Christi amore in pauperie mori, et canonicorum regularium S. Sepulcri habitum suscepit, ubi et sepultus est». ²

¹ Huius opusculi ms. exaratum inter annum MCLVI et MCLVII habetur in exemplari chronic. Roberti Monaci apud Bibl. Parisiensem n. 5129.

² MARINI SANUTI, *Secreta fidelium crucis*.

Sed Fulco quoque tredecim post annos ex equo collapsus, obiit relinquens filios pueros duos maternae tutelae commissos. Delatum eius corpus est Hierosolymam: «... occurrente clero et populo in ecclesia Dominicana sepulcri, sub monte Calvariae, introeuntibus ad dextram secus portam, inter alios felicis memoriae reges... sepultus est». ³

Melisenda uxor eius regnum tenuit quoadusque filius natu maior Baldovinus eam renuentem e throno descendere armis coegit et linquere sceptrum. Anno autem MCLXI mortua, regina sepulta est «... in valle Iosaphat descendantibus ad sepulcrum Beatae et intemeratae Dei Genitricis et Virginis ad dexteram in crypta lapidea». ⁴

Baldovinus III, eius filius, et qui ei successere, in basilica Sancti Sepulcri pariter tumulati sunt; sed alio ordine prope murum, quo hodie chorus Graecorum occluditur, haud quidem, ut primi illi reges, sub monte Calvariae, sed ante Calvariae locum, ut Vilhelmus Tirius testatur: «... Cum summa reverentia et regalibus exequiis... in ecclesia Dominicana sepulcri ante Calvariae locum... honorifice inter suos praedecessores sepulturae traditus est». ⁵ Theodoricus autem monachus, qui anno MCLXXII loca sancta peragravit, ⁶ sepulcrum describit primum inter quinque qui eodem ordine e septemtrione ad meridiem disposita erant, atque enarrat «... pretioso opere factum et pario marmore et choro contiguum, fratris est regis Hierosolymorum nomine Baldewini».

De Amalrici fratris eius, qui ei succedit, tumulo haec tantum a Vilhelmo ipso Tirio adnotantur: «Sepultus est inter alios

¹ VILHELMUS TIRIUS, l. XII, c. 6.

² Ibid., l. XIII, c. 32.

³ L. XVIII, c. 24.

⁴ Theoderici libellus de locis sanctis von TITUS TOBLER. - (St Gallen, MDCCCLXV).

praedecessores suos, secus fratrem, in eadem linea, ante locum Calvariae»; verum de huius monumento, iam a saeculo XVI, quum Palaestinam Ioannes Cotovicus visitavit, legimus nulla vestigia, ut et de Baldovini sepulcro, superfuisse.

Amalrico Baldovinus successit, nomine IV, qui tamen, postquam bis iam Saladinum hostem strenuissimum superasset, lepra confessus XVII kal. April. MCLXXXV mortuus est. Hic quoque «cum suis patribus», iuxta anonymum saec. XII scriptorem, «iuxta chorum sancti sepulcri traditus est sepulturae». Successorem regni reliquit puerum sororis filium Baldovinum nomine V, in tutelam Sibillae matris atque Raymundi comitis Tripolitanii. Hic, quum quinquennis rex esset coronatus, octavo vix aetatis anno vita est functus. Tunc Sibilla regnum adipiscitur atque sponsum Guidonem a Lusignano regem clamat. Inter haec Baldovinus ille V puerulus reconditur et ipse «in parvo sepulcro» iuxta avunculum; cuius quidem sepulcri Quaresmius in suo eruditissimo opere de locis sanctis refert epitaphium:

*Septimus in tumulo puer isto rex tumulatus
Est Baldevinus regum de sanguine natus,
Quem tulit e mundo sors prime conditionis
Ut paradysiace loca possideat regionis.*

Atque melior ferme fortuna puero favit, quam Guidoni illi Lusignano, qui paulo post, in pugna ad Tiberiadem, captus, finem re certe, nisi iure, latino regno Hierosolymae condito imposuit, atque urbem sanctam iterum ab infidelium armis occupatam vidit.

Attamen Graecorum rabies et livor, peior ferme quam odium Turcarum exarsit, qui aemulatione latinae gloriae victi, et epitaphia abradere et petras confringere et omnia latinorum regum vestigia paullatim a sepulcro Domini amovere ita conati sunt, ut saeculo XVI iam, prouti diximus, nullae fere superercent reliquiae sepulcrorum, quae ultimos reges acceper-

rant. Manserant tamen sepultra Godefredi primi regis atque eius fratri Baldovini I, quae post incendium illud anni MDCCCVIII tandem subversa sunt. Atqui tot fidelium itinera ad loca sancta suscepta horum monumentorum indelebilem memoriam servavere, quam brevi hodie hic recolere voluimus, non solum quod studio dignum nobis videretur argumentum, sed etiam quod latinam gloriam respiiceret.

I. ANTONELLI COSTAGGINI.

Novum latinae poësis certamen Locris in Brutiis indictum

A clarissimo viro Carmelo Triumviro, Locrensis de latina poësi certaminis conditore, opusculum accepimus, in quo de exitu certaminis huius anni MCMXXIX fuse refertur, atque adduntur carmina magna laude in eodem ornata, quorum alterum honori ducimus et in nostris paginis hodie edere, eoque magis, quod eius auctor, Vincentius Polidori, socius sit noster dilectissimus. Iterum quoque vulgamus novi certaminis prospectum, ad quod cives et peregrini invitantur, his scilicet legibus:

«I. ne carmina L breviora neu ccc versibus longiora sint, neve prius edita aliove ex sermone translata.

II. ut Britannico portatili prelo, seu machina ad scribendum, nitide impressa, sententia munita quam obsignata scidula carmini adjuncta, poëtae nomen et domicilium continens, prae se ferat, hac inscriptione: *Al Direttore del Collegio «Principe di Piemonte» - Gerace Marina, Calabria (Italia) prid. Kal. Mart. MCMXXX* mittantur.

Tres viri poësis latinae quam qui maxime peritissimi de carminibus tempore

missis, post tres menses referent, omnium optimo praemium decernentes aureum numisma *Mille italicarum libellarum* egregio artis labore perfectum; et pariter magna, quae dicitur, laude digna, si qua videbuntur, addito insuper diplomate, ornabunt. Carmina sive praemio sive

laude ornata in ius Conditoris certaminis cedent».

Liceat nobis proferre omen ut quam plurimi in certamen descendant; idque latinitati, Italiae nostrae et Maecenati optime merito, bonum, felix, faustumque sit.

A. R.

MATER ET FILIOLA

CARMEN IN CERTAMINE POËTICO LORENSI AN. MCMXXIX
MAXIMA LAUDE DECORATUM

Matutina novi radiabant lumina solis,
dum refugi molles gradior per fluminis her-
[bas,

Vergilium relegens, tantum quem semper
[amavi.

Demissos oculos libro quandoque levabam,
respiciens nitida quae circum luce nitebant.
Nescio qua praeter solitum dulcedine captus
tum clamo: « Calamos o me tractare docerent
Musae; me gracili modulari carmen avena!
Omnia, quae mentem capiunt replentque

[stupore
nunc animum, lepido vellem describere versu.
Hic rami variis induiti floribus halant
densaque depellunt rapidos umbracula soles;
manant hic saxis rauco cum murmure fontes;
hic ver purpureos pandit per rura colores;
ambrosium sugit molli de gramine rorem
hic apis; hic fundens arguto gutture cantus
aligerum grex alternum testatur amorem
sollicitisque animum discit dissolvere curis».

Lentus, ubi surgit viridi sub fronte sacellum
(hoc pueri interdum foliis agrestibus ornant,
pinguia dum placidae detondent pabula

[vaccae)
huc veni. Remorans aeternum Numen adoro,
dein notum per iter retro vestigia pono.
Iam rursus tacita rediens ego mente legebam

Vergilium, cum blanda meas vox fertur ad
[aures.
Extollo frontem, substans, oculosque revolvo
illuc, unde gemens mihi vox devenerat illa.
Ante oculos res obiicitur. Frondente sub
[umbra
mater, adhuc florens, nigro vestita sedebat.
Ex albo induculam precisam sedula panno
consuerat. Nunc quanta subest at cura laboris!
Restat enim rubeo telam distinguere filo
textilibusque novis tunicam exornare para-

[tam.
Flosculus ut, laeto qui nondum sole reclusus,
contiguo calamo fulcitur floris adulti,
luctu confectam matrem stat parvula iuxta,
sextum cui rediens iam ver adduxerat annum.
Huic roseum labrum renitet flavique capilli
sparsi per collum ludunt. Quid plura? Videtur
angelus in terras caelo demissus ab alto,
exemplum decoris nobis ut praebeat unum.
En inhians placido pendet genitricis ab ore.

Omnia nunc rident; fuso sub lumine tellus
induitur pompam; viduae sed tristis inum-
nox animam. « Mater, meritis quae praemia
dictis aggreditur moestam sic nata paren-
tem, —

me, bona cum fuerim, promisso munere dona.
Quid tardas? Duc me rigui per gramina prati
vel propter vitreum fontem qui dulce susurrat,
ut manibus possim pulchros constringere

[flores
et, mihi quae tantum placeant, audire loquelas,
quas saliens herbis ac floribus unda remittit.
Nunc zephyrus spirans tenues effundit odores,
nunc inter frondes numerosus concinit ales.
Nos, dicunt flores, avidi te poscimus ipsi.
Cara, veni manibusque tuis o denique tangi
nos cupimus; propera virides in graminis
[herbas.

O, dicunt volucres, o nostros percipe cantus
dulces, qui liquidas vento funduntur in
[auras».

Et iam mater acu niveum pingebat ami-
[ctum:

« Ire volo nunc, ire volo! » — cum filia
[clamat,
filia, quae virides vult se deferre per agros.

« Cara, — statim blando genitrix adfatur
[amore, —
mox te conducam; querulum iam comprise
[fletum.

Irrigui ducam prati per graminis herbas,
te propter liquidas errantis fluminis undas».
Hic lacrimam, natae quae turgens ora rigabat,
lino detergit. Pulsis de pectore curis,
surgit eamque, suum tenerum quae format
[amorem,
roscida currentis rivi per gramina dicit.

Iam mediis herbis exsultans filia gaudet,
dum flores digito genitrix ostendit odorus.
Quam vigil atque suae natae quam provida

[mater!]

En facilis meritis adscribit praemia laudis;
en duplicas plausus incidunt gaudia mentis;
en, animum propensa fovens, cor sensibus
[addit;

en avidis manibus submittit prompta corollas;
en gressus retinet, properi qui gramina lae-
[dunt,
ignarosque pedes a certis ecce periclis
praeveniens prohibet. Flores dum pollice
[carpit,

parvula laetitiam pleno de pectore fundit.

Ast ubi fertilior florum sua munera tellus
exhibet aut ridet vario gemmata colore,
huc natam genitrix flectens vestigia dicit.
Dein: « Dilecta veni; redolentes collige flores.
Huc, huc verte pedes. » Gradiens iter indicat

[illi.

« Verte pedes huc ». Procedens tum parvula
[pulchros
decepit flores; pleno tum gutture: « Quot,
[quot! »

exclamat, lecti dum fasce premuntur in uno.
Naribus interea suaves afflantur odores.

« O mater, blandi quam fragrant percipe flo-
[res! »

« Quam fragrant! » Genitrix sic laudes lau-
[dibus addit.

« Huc pede; decerpens alios aliosque re-
[vinci].

Colligit inumeros molli de cespite flores
agglomeratque sinu, pondus nec sustinet illa.
Tum: « Modo sufficient nectendis, nata, co-
[ronis].

Sic mater. Renuens soboles avellitur inde.
En sistunt ambae viridisque sub arboris umbra

considunt. Genitrix tenero tunc ore profatur:
« O dilecta, mihi dulcem quae prodis amo-

[rem,
tu modo lenimen, superes tu sola voluptas!
Si mihi non essem, tantum tolerare dolorem
anxia num possem? Sine te, spes nulla ma-

[neret.]

His tacuit dictis, memorat cum moesta ma-

[ritum:
« Dulcis erat, vigilans et re studiosus in

[omni! »

« Crustula danda mihi quaerenti semper
[habebat;

semper donandos lusus. » « O nata, recessit
ille bonus genitor, tibi qui tot dona ferebat
ornabatque domum sertis redolentibus! O
[nos,
nos miseras! » Memet pupa donaverat olim,
quae reserans circum geminos volvebat
[ocellos
ac tenui matrem simulata voce vocabat ».

« Sensus ille pios generoso corde fovebat.
Nunc nitidam fundit noto de sidere lucem;
e caelo, aspiciens nos, in nos lumina flectit ».
Haec fando lacrimas nequit compescere mater.
Fletum nata videns, qui moesta per ora
[fluebat],
udas detersit lacrimas lenitus dolorem,
dulcia depromens: « Genitrix o, vive quieta!
En tibi dona gero: gemmantes sume corollas.
Visne tibi nexit praecingam tempora sertis?
Te pater aspiciens redimitam floribus, ipse
summam laetitiam capiet. Tunc aethere ab alto
non mihi desistet cupidae benedicere gratus ».
Dixerat. En genitrix natam complectitur ulnis,
en gremio ponit, repetitis oscula miscens
blanditiis. Tenerae referat quis verba parentis?
Filia, cui ridet diffuso lumine caelum,
in scia cui ludos pueriles suggester aetas,
enumerat tenui deceptos pollice flores:
« Haec mollis viola est: hic est narcissus
[odoros];
haec rosa simplex est. Quam fragrat! Dulcis
[amoris]
flos est, namque rubet; florum regina vocatur.
Hic hyacinthus olens. Hic? Nullum fundit
[odorem].
« In mentem revoca. » « Flos est hic nominis
[expers].
Subrisit genitrix dicens: « Ranunculus est hic,
molla qui rutilus pratorum grama pingit ».
Lilia postremo quassans extollit ad auratas
nata premensque sinu fragrantis naribus
[haurit].
« O quantum iactant, o quantum, mater,
[odorem!] »
En tangit tactosque suo de nomine dicit
flores canentes, redolent qui semper acutum.
Dein, subito studio soboles succensa sciendi,
(ut pueris mos est, faciles qui pectora mutant,
vel vertunt alio mentem, diversa petentes),
ecce manu tollit lectis de floribus unum:
« Cuius, namque doces, matri sic nata, co-
[loris?]
« Iste rubet. Sic pulchra suos aurora colores
explicat. » « Hic? » « Albens; ita nix in mon-
[tibus albet].

« Hic? » « Aurum simulat croceo velamine
[tectus].
Sic tenuis gravidis flavescit culmus aristis ».
« Tu scis, namque doces. Hic? Spinis horret
[opertus].
« Filia, caeruleam pandit flos iste corollam.
Sic tibi resplendent oculi. Sic, filia, patri
sic mites oculi fulserunt ». Plura volebat
dicere, cum tacuit percussa mente dolore.
Ast hilarem simulat vultum frontemque
[serenat].
Dein: « Quid, cara, petis? tacita quid mente
[requiris]?
Et soboles: « Genitrix, nunc quid sint scire
ipsa velim. » « Nimium cupiens tu, parva,
[colores] videris!
Haud facilis res est quid sint monstrare co-
[lores].
Attamen, ut potero, dicam. Sunt oscula solis
tantum, qui laeto colluent vere, colores
et qui conspergunt viridiania prata decori.
Quin, varium lumen, radiis quod funditur
[almis] ac nitidas trudit pigro de germe gemmas,
est iucundus amor qui flores pingit amoenos.
Accipiunt flores redolentes oscula solis.
Accipis, o felix, etiam nunc, oscula matris ».
Erudiens caram nutrix dum curat alumnam,
sic maternus amor lucem, lux prodit amorem.
Tum genitrix natae leviter caput attigit atque
ingenuo vultu delirans oscula fixit.
Matri subridens soboles haec edidit ore:
« Visne novam, dilecta, meo de corde revelem
rem tibi? » Sic dicens genitrici basia iungit.
« Incipe, cara quidem; sum namque audire
[parata].
« Audi nunc, mater. » Vox edita fertur ad
faures.
« Cur fles saepe, premens alto sub corde
[dolorem]?
En bona semper ero; tibi semper dulce leva-
[men].
Suspirat genitrix, lacrimam dum tergit obor-
[tam]:
« Es animae, dilecta, meae tu flosculus; es tu

pars melior vitae; post te nil restat aman-
[dum!] »
Sic dicens mediis interserit oscula verbis.
Continuo soboles tenero de pectore fundit:
« En addo parvum, genitrix mea, pignus
[amoris].
Eligit hic manibus flores pulchrosque revincit
filia; dein sertum redolens extollit in altum
et: « Mater, flores, tenui quos vimine legi,
ecce tibi veniunt! Oblatos accipe, mater.
Quem tibi pergratis non possum promere
[dictis],
hoc parvum munus magnum testetur amo-
[rem].
Hic, genitrix flores accepit vimine strictos;
talia dein loquitur, postquam meditata pa-
[rumper]:
« Nunc audi ». « Cupidas en porgo vocibus
[aures].
« Flores, qui vario depingunt prata colore
exornantque solum, cuncti moriuntur in hora.
Occumbunt nitidae quae fulgent aethere
[stellae]:
occidit et sol, os terris qui monstrat hone-
[stum];
denique, qui cernunt, oculi obscurantur et
[ipsi].
At maternus amor non permutablet unquam.
Sunt autem flores alii qui luce fruuntur
perpetua, gratum qui spirant semper odorem;
sunt quae non metuunt occasum sidera ni-
[grum].
Insuper est sol, qui pallentes discutit umbras
ex animo, blando risu qui cuncta serenat,
qui recreans te nunc tanta dulcedine com-
[plet].
Haec dum depromit tenero de pectore mater
filia percipiens dependet ab ore loquentis.
« Dic mihi nunc, genitrix, blanda qui luce
[fruuntur]
insuper et croceos flores qui semper odorant.
Occasum quae non metuunt dic sidera, mater.
Solem dic, animo tenebras qui splendidus
[arcet].
« Flores qui semper vivunt, qui semper odo-
[rant],

¹ Cfr. fasc. sup.DE IOANNE BONETTI¹

Eo omnino spectare videbatur, ut in
alumnis imaginem animi sui relinquere
studeret. Et quum litteras latinas traderet
atque italicas, ita se se gerere consuevit,
ut qua erat animi vi, quietisque impatiens,
alumni ad pietatem atque doctrinam tra-
herentur. Re quidem vera hi, sua veluti
manu conducti, nullo ferme labore, incla-
rescebant, atque in magistri obsequium
mirum in modum aemulatione simul flo-
rebant. Unum hoc esse ipsis apparebat
consilium, una voluntas. Omnes miti inge-

nio, magistri voluntati faciles indulgebant, dum simul quaeque ipse reputabat, ex animi sententia libero ore et confidenti profitebantur. Hinc boni meliores in dies siebant, tardiores vero, sociorum exemplo abrepti atque in magistri obsequium, ad meliorem frugem redire pro viribus nitebantur.

Tot iam bona in scholis retulerat, quum sacrorum alumnus esset; at pius in primis identidem sermones in sacello ad pueros habebat; sicque in omnibus laudabili rerum studio atque hominum prudentia elucescebat.

Illi ante omnia cordi erat, ne vel tantillum ab obedientia recederet. Timebat enim summopere ne quis ei diceret: «Ehus tu, virtutem optime praedicas, re autem vera negligis atque contemnis!» Divinum hoc consilium alte in mente repositum quum frequenter volaret, eo contendebat, ut vestigiis patris insistens, factis potius doceret, quam verbis.

Uno verbo, hoc sibi munus imposuit, ut magister ipse ea esset pietate, quam discipulos obtainere cupiebat.

Anno demum millesimo octingentesimo quinto et sexagesimo, sacerdotio iniciatus, maiorem in modum ad puerorum communem atque in sanctam eorum institutionem ingenio actitavit, atque cuncta quae in mente agitaret, aliquando obtineret.

Sic se ad altiora in dies aptabat.

Namque hoc ipso anno labente, Pater ad latera sua revocare cogitavit Michaëlem Rua, qui hactenus supremus *Mirabelli* arbiter, ut, sub paterna disciplina, illum rerum agendarum usum acquireret, quo aptior fieret ad magna illa munera obeunda, quae in posterum eum manebant.

Ioannes Bonetti ei successit, eiusque callide vestigiis insistens, hoc unum sibi proponere videbatur, ne quis eum rerum novarum cupidum praedicaret. Hinc factum est, ut, abeunte Michaële Rua, omnia

eodem fere tramite procederent. Idque omnino semper in Patris votis.

Adveniente tamen mense Mariali, quo acrius religionem aleret ac devotionem erga Matrem Augustam expromeret, ferventiora semper exercitia excogitabat, ut in alumnorum mentibus altius pietatem insereret. Omnia sustinet, omnia tacitus circumspicit, omniaque concordi animo quaerit ac prudenter gerit. Quo nomine sodales singulare eius studium admirati, in boni superioris exemplar elucescere profitebantur.

Hac tempestate laetale vulnus accepit ob fratris necem, quem vir nefarius violenta manu confosset. Hunc, quem unice amabat, diu multumque luxit, atque in eius suffragium ipsam occisoru veniam ultra concessit. Ut tamen animi sui moerorem uno verbo expromeret, quum alumnis rem communicaret, flens dixit:

«Nec unquam vobis huiusmodi infortunium accidat!»

Quo se ex hisce animi angoribus securius emerget, nihil aliud faciendum esse putavit, quam omni opere ac tempore labes abolere piorum manium fratris dilectissimi, qui acerbo funere ab eo fuerat abstractus.

Quum scholas prioris ordinis perageret, ingenio potissimum callens, facile in exercitationibus litterariis princeps erat; eiusque orationis candorem maxime laudabat magister, atque elegantiorum formam et sententiarum copiam, quae pro re nata ex eius calamo magnifice ac festinanter proficiscerentur. Quo facto quotiescumque, vel quum esset clericus, ad pueros sermonem haberet, facilis eius eloquentia ac naturalis audientium ad se mentes vertebat, sibique intentas ac prope advinctas retinebat.

Huius rei nobis exemplum reliquit, in commentario de Iosepho Saccardo candidissimo alumno, cuius virtutes ne in oblivionem abirent, optimum factu repu-

tavit ex acerrimi quoque viri sententia, in vulgus edere. Quod quidem opus a manu paene pueri exaratum nos sodales uno ore admirati, multa ex eius ingenio profectura esse sperabamus. Nec nos eventus febellit.

Labente anno millesimo octingentesimo quinto et septuagesimo, Missionarii Salesiani, sub ductu praescripto Ioannis Bosco, nuperime inter Beatos recepti, ex Ianuae portu profecti, primum ad Americae Meridionalis littora appulerant. Illi enim, admirantibus Italis, penu unice suo ac divino spiritu afflati, tendebant ad nova Americae littora,

Per varios casus per tot discrimina rerum, ut illis incolis indigentibus in rebus sacris indulgerent, et data occasione, ultro adiutorio Italos essent, qui illa potissimum tempestate, rerum inopia ex patria pulsi, laetiores illas regiones peterent. Incredibile dictu est, quam hoc opus admodum novum Subalpinis omnibusque Italos acceptum sit, et quam magnum admiratio- nis incendium excitaverit.

Quo facilius haec inter Italos evulgarentur, iam paulo ante Commentarius editus est, cui nomen inditum est *Salesianus*, ut raptim et singulis mensibus minuta quoque conscriberentur, quae, Deo adiuvante, acta fuissent ab initio, quum prima rerum fundamenta posuerat Ioannes Bosco ad S. Francisci Asisiatis, usque ad diem, quae humilis virga in *Occisorum valle*, vulgo *Valdocco* in arborem crevit consolidavitque.

Circa hoc tempus, auctore Patre, ad hunc Commentarium recte conscribendum atque ad saeculi rationes optimè componendum, Augustam Taurinorum se contulit Ioannes noster. Qui a Collegio sic duriter ac nullo vindice abreptus, hanc sibi commissam provinciam, etiamsi animo adhuc iniucundam, pro viribus exornandam suscepit.

(*Ad proximum numerum.*)

I. B. FRANCESIA.

EX HISPANIA

Gravis admodum pro Missionibus Con- ventus apud Barcinonenses.

II.

Liturgicum Sacrum, sollemniter cum cantu factum, quo finis Hispano pro Missionibus Conventui, qui fortunatissimo exitu quidem abivit, tandem addictus est, et in quo sacer ipse Episcopus Barcinonensis, Pontificiis vestimentis indutus, divinas divinae Maiestati Hostias immolavit in Studio, de quo in fasciculo sup. mens. Octobris, vere fastigium et culmen Conventus fuit et sua pulcritudine et sua apparatissima pompa et frequentia hominum ex oppidis magna; unde non iniuria in numero reponendum actuum sublimiorum et maximi exempli, quos catholicus terrarum orbis in Regem regum unquam retulerit. Septuaginta millia fidelium Stadium adivimus, christiane fidei lumine adducti, ut legitime divinas res obeuntibus animo attento interessemus et simul a nobis preces ad Deum funderentur.

Tranquillus sine nube dies, ager caelumque aureo sole ridentia et mira quae- dam placidi aëris indulgentia persollem- nem actum feliciter etiam fortunarunt.

Per ampla ambulacula agri Exhibitio- nis, densi quem viridesque tegunt arbores, quo iucundi ferunt calles, fit vi via, penetrantque aditus a prima luce numerosi effusae turbae globi, nunc scilicet primarii principesque urbis, nunc obscuri humilesque, nulla parentum scilicet aut maiorum laude decorati, nunc qui praestantiam quamdam vestium ornatu prae- se ferunt, alli denique plurimi habitu cultu vel comitatu conspicui. Hi omnes viam, innumerabilibus autovehis, assiduo aurea sidera ferentibus mugitu, impedi- tam, circumvehisque, motocyclis, tricyclis,

electrivehis et vel ipsis autotrahis difficilē faciunt ad immensum, quod termini certi claudunt, spatium, deportaturis cursu lauream designatum, et quod communī voce stadium nuncupamus. Et quo magis iam imminebat hora decima, ad sacris operandum praelecta, eo densior siebat hominum concursus et vix purus locus ultro citroque tot capere poterat currus, ita ut spectaculum omnibus tum offerretur vere demonstrativum, quod modo unus illorum celebrandus erat actuum, qui de se memoriam relinquunt sempiternam.

Etenim quum iam hora decima pulsu cymbali indicata fuisset, pulcherrimo prospectu nostrum erat stadium, et ex illo quis (sincere fateor) tantam capiebat admirationem, ut mentis compos minime esse videretur. Immensa graduum series cuneorumque spissa nimis sedilia complebantur, et in campo ludi, iuxta vestigium cineris, decem millia hominum, qui nomen dederant prius Conventui missionali, considebant. Ad gradus, prope ianuam principem sitos, cantores coiverant; illis humeros dabat, et in campo ante immensum circulum, non modicis instrata fuerat tignis (usu missionali) Ara sancta, odoris redimita sertis ac redolentibus circumdata floribus, iuxta illud Nasonis:

Fumida cingatur florentibus ara coronis.

Sacram Imaginem D. N. Iesu Christi crucifixi super erecta ara resplendentem, cum prece multitudine adorabat miroque honore colebat

illud amicitiae sanctum et venerabile nomen.

Subselia regum ad laevam altaris, Purpurati vero Patris Tarragonensis ad dexteram, advenarum denique Praesulum contra collocata fuerant. In angulis tabularienti se se ad astra tendebant singuli mali, expansis perornati vexillis, in quorum vertice potentes vidimus coruscare machinas (bis octo) transmissuras, sonoris mediantibus undis, quascumque voces.

Vixdum iam paratis sedibus resident rex, regina augustaeque filiae sua et proceres plurimi sua auctoritate seu ecclesiastica seu civili valentes, manum statim Episcopus Barcinonensis colendis Dei mysteriis admolitur. Insimul tremulis Marathonis turris ignibus colluet, et sacram silentii anchoram millia auditorum septuaginta sic tum arripiunt, ut vel ipse levissimus quisque vexillorum strepitus cum zephiris luctantium audiretur.

Quod quidem silentium tum alte praestitum est, quum caelestis Hostia adoranda attollebatur intra purpureum lucis iubar horae illius matutinae, aeraque

clara repercuesso reddebat lumina sole.

Unde, sancta sacrificii opera absoluta, Praesul Victoriensis, cui regi assidebat, inquit: «In animo meo admirationem maximam servatum hoc silentium excitavit!»

Quid de vocum concentu et cantu Missae in stadio? Intimis num sensibus, lectores egregii, percepistis unquam dulcedinem in cantu? pietatis amorem in melos? Dissipatasne animi partes ad se ipsum coëgisti unquam mediis in harmoniis, ut, omni sensus voluptate exclusa, mente comprehendenteris tantum spiritualem quamdam suavitatem, qua se ipso animus tranquille fruitur, et, ingenti expletus alacritate, ut furtim ex oculis gutta cadat prohibere nequit? Hoc facit cantus gregorianus, qui, ad imos animae nostrae perveniens sensus, illam ita beatam reddit ut ad illud caelum ducere videatur, ubi, ab omni cura procul, pie placideque requiescit. Puram illam dulcedinem, pietatem, animi piissimos sensus mirabiliter hausimus ex Missa «Fons Bonitatis», cuius numeros e docto gutture, mesochoro insigni P. Sunyol, O. S. B., millia modulorum decem fudere. En, si mihi ita loquafas est, maximus apud nos gregorianismi

triumphus! Nunquam erit apud canentes

et audientes intermoritus, ulla nec obli-
vione conteretur.

Tum stadium sublime mihi videbatur templum, cuius unica et ampla testudo recurvum caelum erat, et lux, quae illud sidereo lumine circumdabat, erat et sol, qui suis radiis nitido splendore coruscantibus, facies succendebat nostras lumine divino, et Christus, sol iustitiae, qui sub ipsa ara tum vere ac realiter vivens, pectora nostra inflammabat ad eum generoso amore prosequendum sacrisque modulaminibus extollendum. Sed nequidquam rem suis ponderibus examinare conor!

Illmus et R̄mus P. Raimundus Font, C. M. F., Episcopus Taricensis, qui vehe-
mens est in concionando, orationem super opera missionali habuit, singularem doctrinam eximiamque sapientiam redolentem. Dixit nihil humile, nihil mediocre, nihil e medio sumptum, sed omnia prae-
clara, accurata et exquisita. Et, res mirabilis! ex prodigiosis radiaculis, inter
venefica inventa recentioris scientiae pe-
radmirabilibus, in remotissimis urbibus,
in oppidulis, in rusticis villulis, millia
millium hominum voces cantorum atque
oratoris placidis auribus accepere, quae
quidem voces audientibus exquisitae spi-
ritus voluptati, ab arte ac liturgia profe-
ctae, non immerito fuere.

Tandem tam magna hominum copia,
praeente regia Familia, non perturbate,
sed ordinate valde ab stadio excessit.

Denique postmeridiano tempore cum magna clericorum, religiosorum, monialium civiunque multitudine per principes magnae urbis vias ac plateas sollemnis pompa ducta est, in qua praeterea amplos perornatosque currus, plurima secum ge-
stantes simulacra, quae varia gesta histo-
rico - missionalia simulabant, laetantibus
animis, vidimus.

Vici, apud Ausetanos Id. Novembr. MCMXXIX.

I. FONTS.

PEREGRINUS IN URBE

**Quae in Urbe, omnis late orbis terra-
rum capite, fiunt.**

Quae rerum congeries insequitur me,
quique cumulus ruit male pinguis arenae!
Nunquam fortassis, uno eodemque tem-
pore, laeta tristiaque cor hominis oppri-
munt, nec tot simul facinorum acervus
cedidit super nos et undique scriptorem
eiusque prope mentem obruit!

Et ego, qui saepe peregre per urbem
veluti publicus cursor huc illuc vado ac
festinanter progredior, et unam ex decem
fortasse rem mente arripi ac teneo,
animo frustra fatigor; et peto veniam si
multa silentio praetereo.

Eram forte deambulans et aërem dul-
citer post meridiem captabam, quum ex
improviso puerorum turba clamitantium
me excitat graviterque commovet, qui
diurna publice viatoribus offerunt, et
nescio quid inter dentium stridorem cor-
porisque commotionem, exprimunt, peius-
que, oculis minitantur.

Interea per vicos, per compita, ut sti-
pula currit, per trivia vociferatur, atque
ex composito clamitant, magnum Bru-
xellis facinus frustra patratum incusantes.
Quid novi occurrit?

Ineunte mense Novembri, Itali, incre-
dibili gestientes laetitia, acceperunt prin-
cipem Humbertum, regis filium, sponsu-
rum Mariae Iosephinae, Belgarum regis
fiae, Bruxellas contendisse, ut ex more
eam sibi in uxorem peteret.

Quum, postero die, solemnī pompa, ad
militum proximo bello occisorum sepul-
crum princeps oratus inter innumeram
populi multitudinem incederet, ecce ado-
lescens, perfricatae frontis, infando ausu,
in eum parva ignovoma ballista laetalem
glandem explodit.

Actum erat de Principe, et maximum animorum gaudium in duorum populum luctum verteretur, nisi Deus praesenti auxilio exstisset, et principem ex omni periculo eripuisse, et praeter omnium exspectationem virtute sua incolumem restituisset.

Stupor spectantes perstringit, torpet omnium vox spiritusque. Mox tantum facinus in lignati, pars gladiis impium percussorem petunt, pars ad principis latera adcurrunt, diversi diffugiunt. Fit turba, strepitus queritantium ingeminat, armati adsunt, sacrilegum comprehensum foras proripiunt.

Princeps vero, hilari vultu, atque ardentia lumina ad caelum primum, deinde ad turbam convertens, ad propositum sibi munus securus procedit, laetus admodum, quod ex ipso salutantium ore pervidit, quo animo atrocem casum pertulissent, qui nunc incolumem vigentemque gratulantur.

Sic apud Belgas; at in Urbe, in ipsis prope aulae foribus, quae primum populi confusio atque animorum turbatio! Ipsa loci ignorantia imprimis civium furorem auget ac prope in immensum cumulat.

Pars postulat, quinam sit hic princeps confossum? Ubinam gentium? Pars lectitat, atque oculis turbatis, nec arripit litteras neque sensum.. alii, magno animi pavore correpti, extrema sibi atque patriae pericula pertimescunt..

Omnia transformat sese in miracula rerum!

Roma enim ex impiae factionis faucibus erepta et regi suo iterum reddita, ad pristinam dignitatem revocatur. Et Itali, qui tot annis Pontificis Maximi, Principis terrarum orbis acerbitatibus ardentis religiosi studio identidem subveniebant, praeter exspectationem, devoti sanctitati maiestatis eius obsequium suum testantur, quod praesenti Virginis Matris auxilio, mirum in modum in regnum est restitutus.

Hodie enim, ipsis Decembribus Nonis, incredibili hominum laetitia, adclamantibus ordinibus universis, Rex Victorius Emmanuel III omni regio apparatu, ad Vaticanas aedes invictus est, Patrem veneraturus, precaturusque, ut pacatis tandem rebus in augusta sua sede, uterque Princeps, diu placideque populo suo intersit... Nos, una voce, Patrem atque Regem veros felicium saeculorum Restitutores salutamus, ut, Deo adiuvante, commodo civium et securitati diu multumque prospiciant.

Ut tantae rei memoria ad posteros progetur, ipsa dies albo signata lapillo, in Italorum pectore adscribatur, et auspiciatissimis nuptiis Humberti filii regis et Mariae Josephinae Belgarum, augusta propaginis, spem soveat atque augeat!

SUBALPINUS.

ANNALES

Sinenses inter atque Russos certamen.

Post Lachae Suzsu Sinensis urbis occupationem, quam in superiore eventuum recensione nostra nunciavimus, Sinenses iterum ad Nationum Societatem adversus Russos provocarunt, qui interim hostes ad orientem simul atque occidentem solem aggressi sunt. Visum itaque Sinensibus est, ne ulteriora damna obirent, controversias componere; atque Mandchouriae provinciae gubernator Russico gubernio pacem obtulit, per quam «status quo ante» restitueretur; nempe et iura deferrivia redintegrarentur, et Russici in ea administris ad officia sua redderentur, et libertas Russicis civibus captivis factis statim iterum concederetur. Dum haec pertractantur, en Nationum Societas tum Sinis tum Russis ad pactionem illam,

quae a Kellogg, Americano administro, nomen sumpsit, revocat. Minime opportunam Russorum gubernium actionem hanc esse contendit, et contra «intercursum» reclamat...

Quidquid fuerit, id unum rei caput est, ut arma, sine ulteriore mora, deponantur.

**

Ab Afganistana regione.

Priusquam ab Asia recedamus, nuntium addemus Kabul, in Afganistani regni urbe capite, morte mulctatum fuisse latronem illum Abib Ullah, qui per aliquot menses summa imperii potitus, a novo rege Nadir Kahn fusus fuerat et fugatus.

**

Rheni regio ab exteris copiis liberata.

Magnacum Germanorum laetitia, altera Rhenanae regionis pars, scilicet Aquae et Confluentes urbes, sunt his diebus a Gallicis et Belgarum copiis vacuae factae, suaequae dictioni redditae; quod, licet Gallicis civibus ex «Nationalistarum» factione ingratum fuerit, palam demonstravit, si Gallorum gubernium administro aliquo, ipsoque collegii praefecto, mutatum fuerit, non mutatam pariter fuisse agendi rationem a superiore administratorum collegio compositam.

**


Pacis pignora.

Neque alia pacis pignora recens defuerunt. Atque primum arbitratus et conciliationis foedus inter Rumenos Polonosque ictum; deinde Mexicanae reipublicae praesidis electio, quae in Ortiz Rubio cessit, quem dicunt catholicorum libertatis et animorum concordiae sautorem; denique Italici Regis et Reginae ad Pontificem adventus. Dies equidem v huius mensis Decembbris, in qua salutatio haec evenit, memorabilis Italis nobis per saecula manebit, quippe quae tamdiu exoptatae pacis

inter Italicum regnum et Apostolicam Sedem sigillum sollemniter imposuit.

Post Victorium Emmanuelem regem et Helenam reginam, in sequenti die vn Pium Pp. XI et Apostolorum sepulcrum venerabunda adivit regia soboles, Humbertus princeps, regni heres, et Ioanna atque Maria, regales puellae; unde felix faustumque futurae quoque aetatis augurium expromere licet; quod Deus fortunet!

POPICOLA.



VARIA

Francici regni initium et Salicae legis origo.¹

Hi populi, qui olim Francones, nunc Galli appellantur, aut ex Asia profecti, ut nonnulli recentiorum, aut in ipso Germaniae sinu nati, ut celebriores scriptores tradidere, certum est in Imperii Romani declinatione eam regionem incoluisse, quae inter Vindeliciam et Chaucorum regionem (Bavariam et Saxoniam appellant), circa Rheni ripas, ad septentrionem vergit, quaeque ad hanc usque diem Franconia ab gentis nomine nuncupatur. Haec, ne nativos fines excederet, quibus retenta, maximo non absque incommode vitam agebat, Romanorum armorum formidine prohibebatur; sed temporis accessione, quum ad magnam multitudinem, ut fere solent eae gentes, quae gelidas regiones incolunt, crevisset, neque antiquis conteri sedibus, nec suis ali terris poterat.

Sublato priori metu, et finitimarum exemplo excita, ingenti nationis universae consensu, in duas distinctas nationes se dispartire consilium coepit, quarum una propriis in sedibus immoraretur, altera

¹ Ex Francorum historiis a F. DAVILA italice scriptis, lib. I. - Cfr. fasc. sup.

faustis ausibus, ad ampliores in aliam partem exquirendas, arma susciperet.

Huiusmodi divisione peracta, ii quibus discedere contigit, etsi armis assueti nequidquam periculorum trepidatione retardarentur, rati tamen tantae deliberationis consilium casui non remittendum, sed esse firmo et constanti ordine dirigendum, in campis proximis ad flumen Salam concilium nationis habuerunt, ubi futuri regiminis formam, et leges condidere.

Sed uti populi, qui capitis unius nutu regi assueverant, aut qui forte ad dominationis incrementum formam regni conferre arbitrarentur, regem, in quem totius gentis auctoritas concederet, legere, regno hac superinducta conditione, ut in stirpem regiam haereditario iure transiret, admoniti, quotiescumque electionibus esse locum sinerent, exorituras aemulationes, et civiles discordias, quae novi regni fundamenta penitus subvertissent. Itaque, sicuti principia rerum ab animorum probitate, utilitati publicae prospicente, plerumque proficiuntur, ambitu, et studiis privatis positis, Faramundum cunctis suffragis regem adlegerunt Marcomiri filium, non solum ex stirpe eorumdem populorum longe domina, verum virtute, prudentia, rei militaris scientia dignum, cui honorem hunc tribuerent, et posteris eius eamdem potentiam devenire consentirent, et nisi his deficientibus, novum legendi regem ius ad populum devolvi posset.

At ne illimitata potentia in effrenem licentiam verteretur, uno tempore cum regis electione, nonnullas leges perpetuas statuere, quibus nationis universae mentem, cum in habenda regis electione, tum in reliqua futuri regiminis administratione explicarent. Hae leges a sacerdotibus Saliis propositae, ex ipsis campis, qui ab Sala flumine nomen obtinebant, *Leges Salicae* dictae sunt, et post regnum conditum, leges originariae, et constitutiones inconcessae.

Comparatis inde omnibus, quibus ad expeditionem instruendam opus erat, Franconiam sub senis Marcomiri imperio deserentes, Rhenum cum Faramundo rege transgressi anno circa post Christum natum ccccix, Galliis potiri aggressi sunt.

**

Pro iudicibus mensarum elegantibus.

ESCARUM ORDO:

Farina subacta carne farta, Subalpinorum more.
Parvae tructae in butyro decoctae.
Cerebri vitulini segmenta fricta, cum pisis.

Capo lardo oblinitus, vero assus.

Acetaria ligustica.

Cistulae, crustulatis fructibus refertae.

**

Aenigmata.

I

Cogere prima solet;
Altera nare iubet;
Utraque mixta bibis.

II

Allicit et rabidas mira dulcedine tigres,
dum ferit argutae pollice fila lyrae.
Litera si adiicitur, facilis circumvolat alis
et levibus nebulis lumina mulcet iners.

Aenigmata in superiore fasciculo propo-
sita his respondent: 1) *Pes, Spes;* 2) *Is-is.*

IMPRIMATUR

Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreon.,
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

INDEX RERUM VOL. XVI

(AN. XVI — FASC. I-XII)

PAG.	PAG.
Alloquia sociis et lectoribus. 1, 115, 173, 181	
Annales. 13, 31, 47, 70, 87, 105, 122, 140, 159, 175, 194	
Archaeologica.	
De Romanorum vestibus (<i>A. S.</i>)	6
De puerorum institutione apud Romanos (<i>G. P.</i>)	95
Quibus disciplinis Romani adulescentes instituerentur (<i>G. P.</i>)	131
Imagines de aeterna animae beatitudine in Christianorum coemeteriis (<i>S. S.</i>)	165
Vid. etiam Historica.	
Ars.	
De musica (<i>G. Lepore</i>)	21, 83, 99
Artjum recentissima quaeque Barcinone proposita (<i>I. Fonts</i>)	97, 113, 135, 148
Carmina.	
In gratiarum actionem (<i>A. Ngobia</i>)	8
In annum MCMXXIX vota (<i>A. Bartoli</i>)	15
Pio XI Pont. Max. anno VII Sacri Principatus peracto quinquagesimo Sacerdotii ineunte (<i>N. Capo</i>)	19
In auspiciatissimam Vaticanani et Italici regni pacificationem (<i>C. Mambretti</i>)	39
Iu mensem Martium (<i>A. Nardis</i>)	52
Amicorum minimus (<i>I. Morabito</i>)	61
In funere Thomae Vignas S. P. (<i>I. Fonts</i>)	65
Pio XI Pont. Max. « Quaestione Romana » orde plaudente feliciter soluta et rite composita (<i>I. Fratini</i>)	71
Mense Maio: Virgini Rodianae in Vestinis (<i>A. Nardis</i>)	79
In memoriam Iulii Salvadori (<i>N. Capo</i>)	85
Hora Dei (<i>N. Capo</i>)	98
Pauperissimus bonorum (<i>F. Sofia Alessio</i>)	108, 126, 144, 162
Nil mortalibus arduum est [<i>A. Nardis</i>]	115
In Sanctum Benedictum (<i>N. Capo</i>)	134
Seminariorum alumni ad Pontificis pedes (<i>I. Cacace</i>)	140
In memoriam Iubilaei sacerdotalis Pii XI P. M. (<i>I. Cacace</i>)	151
Humberto e gloriosa Sabaudiae domo, Italicis regni Principi, ab impia sicarii manu, die Raphaeli Archangelo sacra, sospiti, an. D. MCMXXIX (<i>I. Fratini</i>). 108	88
Epistolare sociorum commercium.	
De novis verbis latinis verbis redditis (<i>A. Avenarius</i>)	137, 152
De fluxis gentium vocabulis perennes in formas latine redactis (<i>I. Tasset</i>)	153
Fabulae.	
Corvus (Versio ex Italicis fabulis <i>N. Tommaseo</i>)	15
Cerva (<i>Id.</i>)	33
Vas aeneum et vas fictile	52
Mures	72
Lupus et agnus (<i>G.</i>)	88
De leone fabellae (<i>I. B. F.</i>):	
Praefatio - Leo gravi gulae peccato plectitur	106
Leonis virtutes ab ipso narratae	123



	PAG.		PAG.
Servus et leo sauciatus	142	De falcone	105
Leo Alexandrinus	160	Strenui Christi vexilli defensores (Ex historiis Maffei)	142
Historica.		Urbs Ticinum flammis deleta (Ex Europae historiis italicice scriptis a F. Giambullari)	160
De Sancto Hilario, Pictiorum Episcopo (<i>I. B. Francesca</i>)	5, 59	Francici regni initium et Salicæ legis origo (Ex Francorum historiis a F. Davila italicice scriptis)	176, 195
Benedictinum Montis Cassini coenobium (<i>G. P.</i>)	56		
Beatorum honores decreti Ioanni Bosco (<i>I. B. F.</i>)	80		
De Lactantio (<i>I. B. Francesca</i>)	91		
De Sancti Hieronymi vita (<i>M. Martini</i>)	145		
De Ioanne Bonetti (<i>I. B. Francesca</i>) 150, 167, 189			
Hierosolymitana regum latinorum sepultra (<i>I. Antonelli Costaggini</i>)	182		
Liber a pittacis responsa (A Secretis).	34, 72		
Libri dono accepti	16, 107, 161		
Librorum recensio	16, 125, 143, 177		
Litterae et Philologia.			
Pro lingua latina (<i>P. Angelini</i>)	3		
Certamen poeticum Locrense ann. MCMXXVII-MCMXXVIII	7, 24		
De Latinae linguae studio (<i>I. N. F.</i>) 20, 55, 109, 163, 181.			
Pro lingua latina (<i>N. Capo</i>)	39		
De renovando Latinae linguae usu (<i>F. Ramorinus</i>)	76		
De certamine poetico Hoeufftiano anni MCMXXVIII	84		
De certamine poetico latino Locris in Bruttiis a Carmelo Triumviro constituto 112, 185			
De Iosepho Morabito novo quodam iuvenique poëta (<i>A. Aurelii</i>)	127		
Liturgica.			
De formula: «Iube, domne, benedicere» (<i>A. Avenarius</i>)	62		
Medicae notae.			
Ad sanitatem tuendam: Aphorismi sive præcepta medendi generalia ex pluribus casibus particularibus abstracta, ex variis auctoribus collecta (<i>I. Fam.</i>) 29, 68, 104, 120, 157			
Narratunculae.			
Basilii imperatoris ingratus animus (Versio ex Italicas scriptis <i>P. Segneri</i>)	15	Histriones et Circulatori (X)	27
Ioannes Matthaeus Gibertus, Veronae Episcopus, et Richardus quidem Comes	32	Quadragesimales domestici mores (<i>P. d. V.</i>)	42
Magnus Venceslai, Boëmiae regis, animus (Versio ex Italicas scriptis <i>P. Segneri</i>)	52	Doctores Catholici Athenaei Mediolanensis in Vaticanis aedibus (<i>Senior</i>)	69
Veris descriptio (<i>A. B.</i>)	71	De nimio studiorum labore in adolescentibus (<i>R. S.</i>)	111
Militis cuiusdam virtus (X)	87	Geographi et nautae veteres (Ex historiis Maffei)	123
		Gravis admodum pro Missionibus Conventus apud Barcinonenses (<i>I. Fonts</i>)	168, 191
Roma sacra.			
Constitutio Apostolica de liturgia deque cantu Gregoriano et musica sacra cotidie magis provehendis	48		
Scenicae fabulae.			
Stanislaus fugiens. - Drama Henrici Nozzi, S. I.	17, 35, 53, 89		
Ad sepulcrum. - Actio dramatica <i>I. B. Francesca</i> versibus senariis conscripta	180		
Sententiae.			
Veterum monita	46, 99, 143		
Ex Gregorio Nissen.	59		
Ex Ovidio	118		
Vacui temporis hora.			
Pro iudicibus mensarum elegantibus, escarum ordines (<i>I. F.</i>): 15, 34, 53, 72, 88, 106, 124, 143, 116, 177			
Iocosa (<i>I. F.</i>) 16, 34, 53, 72, 88, 106, 124, 143, 101, 177			
Aenigmata 16, 34, 53, 72, 88, 107, 124, 143, 161, 177, 196			
Varia.			
Histriones et Circulatori (X)	27		
Quadragesimales domestici mores (<i>P. d. V.</i>)	42		
Doctores Catholici Athenaei Mediolanensis in Vaticanis aedibus (<i>Senior</i>)	69		
De nimio studiorum labore in adolescentibus (<i>R. S.</i>)	111		
Geographi et nautae veteres (Ex historiis Maffei)	123		
Gravis admodum pro Missionibus Conventus apud Barcinonenses (<i>I. Fonts</i>)	168, 191		

Q. MAR 40